

Notate uos  
monachi:-

Et uos omnes  
presbyteri

Veteres olim monachi cellas quidem ecclesias. et alias mansiones humiles habebant. et tenebrosas: sed erant corda eorum lucida ualde in amore dei omnipotentis. et in scia diuina scripturarum. Nostri autem ecclesias. cellas. domosque et omnes mansiones iam lucidissimas fabricant: sed corda eorum uicis et desidia plena tenebrosa sunt. quoniam nec deum sicut debuerant diligunt: nec lectionibus scripturarum animum intendunt. Ita quoque tam calices olim essent cuprei. sacerdotes aurei fuerunt: hodie autem calices sunt aurei: et cuprei sacerdotes. Hoc uero monasterium ab Erlafrido constructum in eo loco fuerat ubi et tecum illuminatum diximus: et ipse propter uenationes suas domum saltus habebat. Quod tamen post annos ferme Ducentos. Triginta quatuor ut in sequentibus suo loco dicemus ab Adelberto comite dirutum et in eam formam qua hodie rerum extat reformatum. Prioris enim monasterii hodie nullum penitus manet uestigium: cuius utriusque locus sit uisus.

Quando et unde primi monachi ad Hirsaugiam fuerint  
introduci et quis primus eorum abbas fuerit constituit.

Postquam Erlafridus nobilissimus Comes consummato tam insigni opere propositum suum ad effectum non sine maximis impensis perduxerat. more impacens. quippe qui nihil plus se optare diceret quam illum uivere diem in quo

choros monachorum in suo prediolo collaudantes deum cernere potuisset. Cepit anxia mente reuoluere unde in nouum tenorium a se gloriose fundatum ueteris conuersationis monachos ad regulam sanctissimi patris benedicti religiose institutos posset acquirere: qui et ipsi essent in conuersando sanctissimi: et idonei in idem propositum uenturos etiam alios informare. Viguit eo tempore in monasterio fuldensi maxima religio monachorum sub regimine rhabani mauri abbatis: que se per totam europam phama preuolante diffuderat: et ora

Religio mag  
i fidei uiguit.

Rabani abb